



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. Quid fames, sitis, & unde oriantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

tius dormiunt minus fament: 2^o ab aëre corpus circumstante & cibo ac potu ipso; nam dum potentia nutritiva in ipsum (ut convertat) agit; reagit, nocetque suis superfluitatibus & excrementitiis humoribus ex Chylo & Chymo secretis. Ex his

VIII. Colliges aliam, atque aliam esse spirituum transpirationem, seu evaporationem, pro alia, atque alia constitutione hominis operantis, vel quiescentis, vigilantis, vel dormientis; quia corporis agitatione plures spiritus evaporantur, quam quiete & dormitione, ut experientia patet; item & pro diversis anni tempestatibus calidis, aut frigidis, &c. nam sicut calor naturalis in hieme, ob circumstantis frigus, est intensior; ita plus absorbit & copiosioris humiditatis cibalis restaurativi indiget.

RESOLUTIO III.

IX. **D**ico 3^o, necessitas nutritionis est per totum tempus vitæ continua.

X. Probatur, quia, cum calor naturalis sit agens necessarium, semper aliquid humiditatis radicalis absorbit, & exurit; unde continua restauratione indiget, ne alioqui nimum tabescat vivens, & moriatur, ergo, &c.

XI. Obijcies tamen, quædam animalia sine nutritione valde diu vivunt; 1^o glires totâ hieme non comedunt; 2^o ursi, imò & homines, interdum quadraginta diebus cibo abstinent, ut variè narrant historici, ergo, &c.

XII. Respondeo 1^o, de hominibus dubium esse, an illud verum sit; an naturaliter factum, si verum: 2^o nonnulla animalia esse talis temperamentum, ut vel aërem faciliè in vapores, quibus nutriantur, convertant; vel sibi conservare multos humores indigestos, quos postea bene, ob debilitatem sui nativi caloris & frigiditatem pituitæ, concoquunt, ita ut illis nutriantur, ac interdum impinguescant; quia verò interdum non valet calor naturalis illos in carnem convertere, in adipem seu sanguinem coagulatum immediatè convertit.

DUBIVM III.

Quid famēs, sitis, & unde oriantur.

RESOLUTIO I.

XIII. **D**ico 1^o, famēs per causam finalem ab Aristotele 2^o de Anima cap. 3^o definitur, *Appetitus calidi & siccī*; per causam formalem verò, est *dolor, sive sensus convulsivus ventriculi, defectu alimentati*; ob hunc enim dolorem repellendum appetitur calidum & siccum; unde patet dictum appetitum esse tantum causam finalem famis formaliter sumptæ.

RESOLUTIO II.

XIV. **D**ico 2^o, sitis per causam finalem ab Aristotele loco citato definitur, *Appetitus humiditatis & frigidi*; per causam formalem verò est *dolor, sive sensus convulsivus ventriculi, defectu potus*; ob hunc enim dolorem repellendum appetitur humidum & frigidum; unde etiam patet dictum appetitum esse tantum causam finalem sitis formaliter sumptæ.

RESOLUTIO III.

XV. **D**ico 3^o, famēs oritur ex eo, quod membrum debito alimento privata, quidquid est in ventriculo, illum corrugando & mordendo, exsugant: sitis verò ex variis aliis etiam causis oritur, ut calore jecoris, vel alio calore adventitio, vel falsedine ventriculo inhaerente, vel ex ardore febris, quæ omnia cum dictos dolores causent, causant consequenter dictos appetitus.

XVI. Adde definitionem, quâ Aristoteles famem definit, *appetitus calidi & siccī*, omnino dici debere esse per causam finalem, & non per effectum, ut variè.

XVII. Probatur prima Pars 1^o, à definitione causæ finalis, *causa finalis est id, propter quod aliud fit*; atqui famēs in quantum ab eodem formaliter definitur *dolor*, revera fit, ut sit in vivente appetitus calidi & siccī, ergo, &c. 2^o ex modo causandi causæ finalis, *causa finalis causat ut fit, & non quia est*; atqui appetitus calidi & siccī non causat famem ut dolorem, quia est realiter; nam prius est dolorem esse realiter, quàm appetitum, &c. sed ut sit realiter, quia dolor ille excitat animam, ut illum realiter ponat, ergo, &c.

XVIII. Probatur secunda Pars; quia si appetitus calidi & siccī, esset effectus famis, ut doloris, &c. esset effectus illius ut causæ finalis, vel ut causæ efficientis; sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte, quia dolor ille non est causa finalis istius appetitus: 1^o, quia hic non fit realiter ut sit dolor ille, sed è contra: 2^o, quia non causat istum appetitum ut sit realiter per ipsum, sed quia est realiter, & ut per ipsius objectum cesset esse realiter: Probatur item pro secunda parte; quia licet appetitus ille excitetur in anima ad præsentiam doloris, non potest tamen dici dolor ille causa efficiens illius, sed anima; & ille dolor ut summum causa objectiva illius, ad eum ferè modum, quo cognitio diceretur effectus parietis; quod quoniam nonnisi improprie, & absolute non dicitur, ita absolute dici non potest allatam ab Aristotele famis definitionem tradi per effectum. Hæc applica definitioni, quâ sitis definitur *appetitus frigidi & humiditatis*.

RESOLUTIO IV.

XIX. **D**ico 4^o, alimentum debet esse partim simile, partim dissimile viventi; dissimile quidem actu, simile verò potentiâ.

XX. Probatur, quia si esset omnino simile, non deberet concoqui, eo quod non detur naturaliter (ut infra probabitur) actio similis in omnino simile: si autem non esset potentiâ simile, frustra in illud ageret virtus vivens; quia non posset illud in suam substantiam convertere, & hinc est quod ferrum, lapis, purum elementum, &c. non possint esse alimentum hominis, ergo, &c.

XXI. Dices tamen quædam animalia venenatis vescuntur, ut gallina araneis, ciconia serpentibus, imò & ipse homo, uti de Mithridate canit Poeta:

Proscit poro Mithridates sæpe veneno

Toxica ne possent sæva nocere sibi.

Item strutio ferro, salamandra igne, talpæ terrâ, Chameleon aëre, pisces & herbæ quædam aquâ; sed hæc alimenta non videntur esse potentiâ similia alito, ergo, &c.

XXII. Respondeo negando minorem; quia ali-

menta quæ respectu nostri non sunt potentia similia, respectu istorum animalium possunt esse similia, & habere temperamentum valde proportionatum, per hoc, quod paulatim affueverint similibus uti, ut de Mithridate constat; verisimilius tamen est, ut nonnulli experti sunt, strutionem ferro non nutriri, sed illo confortari tantum, non secus ac homo, odore, & postmodum illud exspuere, vel saltem indigestum semper servare: salamandra verò in igne quidem propter suam summam frigiditatem aliquamdiu suis indigestis humoribus vivit, non tamen igne vivit; quia tandem igne consumitur; talpæ autem terræ eodem modo variis substantiis mixtæ vivunt, sed non terræ solæ; item nec Cameleon aëre solo, sed ex variis vaporibus mixto & muscarum aucupio; nec pisces, nec herbæ, purâ aquâ vivunt; sed limosâ terrâ fundi; horum ratio est, quia purum elementum habet aliquam qualitatem in summo, non ita vivens, sed in gradu remisso tantum, unde tentans illud in se convertere, succumbit.

QVÆSTIVNCVLA I.

xxiii. **P**etes an vivens nutriri possit 1º odore, 2º potu.

xxiv. Respondeo vivens aliquo potu nutriri posse, ut vino & cerevisiâ; quia, cum hæc sint substantiæ mixtæ liquidæ, facile in sanguinem convertuntur; unde sæpe contingit potitatores magis pinguescere & nutriri, quam qui delicatis cibis plus indulgent; potu tamen & cibo moderato uti, semper est bonum; sed quid de odore? puro odore accedente nullus nutriri potest, licet cerebrum confortare possit; quia alimentum in substantiam aliti converti debet, & restaurare substantiam aliti depastam; unde speciebus sacramentalibus nullus, nisi miraculosè, nutriri potest.

xxv. Dixi puro odore, &c. quia odoriferis exha-

lationibus panis pistorum, assorum coci, non raro nutriuntur; quia ut rectè D. Fromondus de Anima lib. 2º. art. 1º. si spiritus odorati non liberè vagentur, sed solidiori alimento compediti sint & impliciti, possunt cum cætero alimento tantum crassamentum à facultate nutritiva accipere, ut in partem viventis solidiorem, aut in humidum ejus radicale, valeant constipari & facessere.

QVÆSTIVNCVLA II.

xxvi. **P**etes 2º, an elementum, ut aqua aliis mixta, ut pani, terræ, &c. nutriet.

xxvii. Respondeo affirmativè, quia licet sit corpus simplex, & Aristoteles cap. 6º. de sensu dicat, cibum oportet esse compositum; quia, quæ nutriuntur, non sunt simplicia: contrarium tamen verius; nam, ut colligitur ex Scriptura, lignum, quod transplantatur super aquas, ad humorem mittit radices suas, Jeremiæ 17. *Plantavi pinum, quam pluvia nutrit: igitur aqua nutrit, & certè, ut rectè notat D. Fromondus de Anima lib. 2º. cap. 2º. art. 1º. miseri essent Anachoretæ, si aqua solidiori cibo & pani commixta non nutrirer, unde Aristoteles lib. 8. Metaph. cap. 5º. docet omne animans humido nutriri. Et S. Thomas in 4º. dist. 8. q. art. 4º. quavis aqua (id est, se solâ) non nutriat, (quia scilicet defectu pinguedinis non adhæret, sed continuò fluit) tamen commixta nutrit, & quidem tam celeriter (addit idem Fromondus) ut si post siccitatem, pluvia superveniat, herbæ antea flaccidæ subito erigant caput, & sic crescere festinent, ut lineæ fortè in vindario superextensa paucillo tempore penetrent, si fila non satis compressè texta sint.*

xxviii. Adde quòd cicada rorè: Cameleon aëre: pyramista igne; serpentes & arbores terrâ saltem mixtis vivant, ut referunt naturalistæ.

DISPUTATIO QUINTA.

De Accretione & Decretione.

i. **A**cretio, & idem dicte Decretione, dupliciter sumitur: 1º latè sive improprie, & est quævis augmentatio; sive fiat per externam tantum juxta-positionem materiæ novæ ad priorem, ut in igne, lapidibus, &c. sive per rarefactionem, ut in lacte bulliente: 2º strictè & proprie; Pro qua, fit

DVBIUM I.

Quid propriè dicta Accretio, & quomodo fiat.

RESOLUTIO I.

ii. **D**ico 1º, accretio propriè dicta, sive viventis, Est motus ab anima factus, per quem vivens secundum partes, saltem aliquas notabiliores, certâ proportionem majorem acquirit quantitatem.

iii. Dixi 1º ab anima factus, ut excludas accretionem improprie dictam, & non viventium, quæ etiam excluditur per ly secundum hanc partes.

iv. Dixi 2º, secundum omnes partes; quia partes sunt poris contiguæ, qui introsumunt alimentum & dilatantur.

v. Dixi 3º, certâ proportionem, id est, ita ut majores

magis, minores minus crescant; magis in longum, quam in latum, &c. quod peti debet ex virtute formatrice & organizativa, quæ remanet in singulis membris, & determinata est ad hanc potius, quam illam extensionem; ut constat ex prima generatione, formatione, organizatione, &c.

vi. Dixi 4º, majorem acquirit quantitatem; puta quantitativam & substantialem; non verò formalem & accidentalem, uti acquiritur per rarefactionem, quam per has particulas excludas.

RESOLUTIO II.

vii. **D**ico 2º, Accretio propriè dicta, sive viventis, fit hoc modo: alimentum è venis & à partibus corporis per poros, id est, tenuissima foramina, seu meatus, introsumitur; quod si sit majus parte substantiæ per calorem naturalem depastâ & absumptâ, augetur & accrescit vivens; attende tamen totam accretionem maxime ad partes solidas, ut ossa v.g. pertinere; unde quadragenarii, & similes, qui adultâ ætate pinguescunt, non dicuntur simpliciter crescere, sed secundum quid, sive secundum carnem; è contra verò pueri, qui secundum carnem